

mittat. Constat insuper ex Const. *Bened. XIV* : *Eo quamvis. S. Lig. n. 178.*

248. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Confirmandus debet esse baptizatus, et, si adultus sit, debet præterea esse in statu gratiæ, et sufficienter instructus de rudimentis doctrinæ christianæ. Non requiritur autem *per se* confessio sacramentalis, *cum rigore loquendo*, quia confirmandus versari potest in statu gratiæ, vel eam per contritionem perfectam acquirere. In pluribus locis mos est, ut nullus confirmetur nisi testimonium peractæ confessionis exhibeat. « Requiritur, inquit *Billuart*, status gratiæ prudenter existimatus per confessionem, vel contritionem perfectam. » (*Art. 8, § 1.*) « Confirmandus, ait, *S. Lig. l. 6, n. 179*, existens in mortali, debet se « disponere ad Sacramentum Confirmationis, vel contritione, vel attritione una cum confessione; confessio enim videtur esse de consilio, « non de præcepto, ut communiter dicunt auctores. » Hinc generatim præstat fideles enixe adhortari ad confessionem Confirmationi præmittendam, potiusquam eos ad eam cogere. Ita etiam *Gousset* (1).

249. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ. Affirm. probabilius*, modo sit attritus, ut dicitur de quocumque Sacramento vivorum. Ratio est, quia Sacramenta vivorum debent *directe* et *per se* gratiæ augmentum et alios effectus suos producere in eis qui non ponunt obicem, ut est ille qui bona fide accedit ad Sacramentum suscipiendum; atqui non possunt hos effectus producere, quin peccatum mortale deleatur: ergo illud *indirecte* delere debent. *S. Lig. l. 6, n. 269.* — *V. Comp. de Sac. in genere, n. 192.*

*R. ad 4<sup>m</sup> Quæ.* FLACCUS etiam sub conditione confirmari potuit. Licet enim confirmatio non sit tantæ necessitatis quam Baptismus, est tamen maximæ utilitatis. Verum, etiam supposito præcepto, non videtur esse gravis obligatio ut Confirmationem denuo suscipiat, quia legi jam probabiliter satisfacit, et proinde illa ligari non potest.

(1) « Les Curés et les Vicaires exhorteront tous les confirmants à s'approcher, même « de bonne heure, du tribunal de la Pénitence; mais un Prêtre zélé, d'un zèle suivant « la science et la charité les y déterminera plus efficacement par la persuasion qu'en « exagérant les obligations du chrétien. Qu'il leur fasse connaître, autant que possible, « l'excellence du Sacrement, qu'il leur inspire le désir de le recevoir, et de le recevoir « dignement, et il obtiendra d'eux facilement qu'ils s'y préparent par le Sacrement de la « réconciliation. » *Gousset, n. 152.*

## CASUS DE EUCHARISTIA

SEU

*De materia utriusque consecrationis; de forma; de Ministro Eucharistiæ; de ejusdem subjecto; de dispositione animæ et corporis in subjecto; de Viatico; de Communionem frequenti.*

### CASUS I.

MATERIA CONSECRATIONIS PRIORIS.

1<sup>o</sup> VITALIS, Sacerdos, habitans in regione ubi triticum non crescit nec facile haberi potest, pro Sacramento Eucharistiæ perficiendo utitur Hostiis ex spelta, et aliquando ex siligine, seu secali, vel ex hordeo confectis; et interdum ex his omnibus simul permixtis.

2<sup>o</sup> ALBINUS, parochiæ præfectus, summo mane admonitus aliquem parochianum morti proximum esse, deficientibus Hostiis consecratis, se accingit ad Sacrum statim faciendum, ut Viaticum moribundo deferre possit. Sed obstupens advertit deficere quoque Hostias non consecratas, quippe quæ ut ipse mox rescit, pridie a pueris, Sacro ministrantibus, manducata fuerant. Nec farina triticea in promptu habetur. Quid igitur faciet miser? Accepto panis usualis frustulo, cum eo celebrat, et illius partem servat, moribundo tradendam.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quænam sit materia primæ consecrationis?*

2<sup>o</sup> *An valide VITALIS consecraverit, in primo casu?*

3<sup>o</sup> *An valide et licite ALBINUS, in secundo casu?*

SOLUTIO :

250. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Materia consecrationis est panis triticeus, seu panis qui vulgo habetur ut panis proprie dictus.

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* VITALIS non valide consecravit cum pane *hordeaceo*, quia non est panis proprie dictus, neque, probabilius, cum pane ex *siligine*, ob eandem rationem. In praxi igitur hæc materia utpote dubia, sub gravi, omnino prohibetur. Idem dicendum est de *spelta* seu de *farre*. Attamen datur in aliquibus locis aliqua species frumenti, sub nomine *speltæ*, ex qua panis proprie dictus conficitur. Hinc, ad communem æstimationem hominum peritorum in hoc maxime attendendum est. *S. Lig. n. 200.* — *Voit, n. 275.* Commixtio autem a VITALI facta materiam quoque dubiam exhibet; imo, si hordei quantitas præstantior sit, materia prorsus invalida est.



251. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* ALBINUS absque dubio valide consecravit in pane usuali, ut patet, cum sit verus panis. Sed illicite egit, juxta sententiam communem. Ratio est, quia, in hoc casu, præferenda est reverentia tanto Sacramento debita, utilitati proximi, cui Sacramentum non est simpliciter necessarium. *S. Lig. n. 203.* — Dicit *Pontas, cas. 4,* verbo *Consecrer*, nunquam licitum esse in Ecclesia Latina consecrare in pane fermentato. Sed recte animadvertit COLLET adnotator, dari casum in quo hoc licitum et obligatorium esset, nempe ad Sacrificium perficiendum, si aliter perfici non posset, v. g. si Sacerdos animadverteret se materiam corruptam consecrasse, nec aliam Hostiam licitam habere posset.

## CASUS II.

## MATERIA CONSECRATIONIS POSTERIORIS.

GASTONIUS, Sacerdos, die quadam rigidissimæ hiemis, Sacrum faciens, dum ad Calicis consecrationem pervenit, naribus Calici propius admotis, acetum olfacere sibi visus est. Obstupefactus ac perterritus, liquorem Calici infusum accuratius considerat, moxque deprehendit vinum illud fæculentum esse, multumque acescens; insuper frigoris rigore contractum, necnon glaciata quadam membranula obductum esse. Quid ipse faciet? Vinum aliud postulat; sed non habetur, nec absque magna difficultate haberi potest. Attamen, peracta jam panis consecratione, ab incepta Missa desistere nequit. Pergit igitur anxius et animo perturbatus, existimans se probabiliter invalide consecrare. Peracto autem Sacro, dubitat num aliud facere debeat, die sequenti, ad intentionem illius a quo stipendium pro hodierno Sacrificio acceperat.

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quænam sit materia valida secundæ consecrationis?*  
 2<sup>o</sup> *An vinum fæculentum, vel gelidum, aut acescens, valida sit consecrationis materia; et an, vel quando licita?*  
 3<sup>o</sup> *An recte egerit GASTONIUS; vel quid agere debuisset?*  
 4<sup>o</sup> *An teneatur aliud Sacrum facere pro illo qui stipendium ipsi erogavit?*

SOLUTIO :

252. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Materia valida posterioris consecrationis est solum vinum de vite, non corruptum. Constat ex *Concilio Florentino, ex Concilio Trident., etc.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Vinum fæculentum videtur esse materia valida Sacramenti, licet minus pura et illicita; nisi vinum videatur corruptum. 2<sup>o</sup> Vinum gelidum probabilius est etiam materia valida, quia remanet substantialiter vinum, sed sub gravi illicita. 3<sup>o</sup> Vinum acescens est adhuc materia valida, quia incipit tantum corrumpi, non vero est adhuc substantialiter corruptum; secus, si acetum jam factum sit. Sed etiam, si acescere tantum incipiat, nihilominus sub gravi prohibetur, ob gravem injuriam quæ Eucha-

ristiæ irrogaretur. Attamen, in casu necessitatis Sacrificii perficiendi, materia dubia quæcumque, materia alia certa deficiente, adhibenda foret. Hinc Sacerdos qui, peracta consecratione, adverteret vinum Calici infusum esse corruptum, vel aquam loco vini infusam fuisse, tenetur vinum dubie validum adhibere, ad consecrationem sub conditione iterandam, si aliud vinum indubium sibi procurare non posset, quia melius est Sacrificium dubium esse quam certo mancum.

253. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* GASTONIUS recte egit; imo, aliter facere non potuisset. Valide quidem consecravit, quia, licet vinum jam pene saperet acetum, erat tamen adhuc vinum proprie dictum, neque vinum fæculentum censebatur corruptum, neque erat adhuc congelatum, licet jam contrahi inceperit. Deinde, licite consecravit, quia, in casu necessitatis Sacrificii perficiendi, consecrari potest materia minus pura, seu fæculenta, etc., modo non sit certo invalida. *Elbel, n. 16.*

254. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* GASTONIUS ab omni scrupulo eximendus est, quod attinet ad Sacrificii valorem, ut ex dictis patet. Proinde aliam Missam celebrare non tenetur, ad intentionem illius qui stipendium tribuit. Imo neque inquietandus esset, etiam data invaliditatis probabilitate. Ratio est, quia, posito dubio de obligatione iterum celebrandi, ipsi de hoc minime constaret. Insuper, cum prior consecratio certo valida sit, etiam ex hac parte GASTONIUS eximendus est ab onere aliud Sacrum faciendi ad intentionem illius a quo stipendium accepit, quia probabiliter unica consecratio ad essentiam Sacrificii Missæ sufficit. *Recole dicta supra de Sacramentis in genere, n. 149.*

## CASUS III.

CONSECRATIO 1<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> JUCUNDUS, Sacerdos, dum in Missa legit Introitum, advertit ciborium, Hostiis minoribus refertum, a sacrista in altari deponi; quapropter intentionem has particulas consecrandi elicit, et Sacrum prosequitur, quin amplius ad illas attendat. Sed, peracta Communione, audiens ministrum recitantem orationem *Confiteor*, et communicaturos accedentes, obstupescit, cernens ciborium extra corporale relictum. Hæret anceps, nesciens quid sit faciendum. Tandem prædictas Hostias, non sine magna animi anxietate et perturbatione, fidelibus distribuit.

2<sup>o</sup> MARIUS, celebraturus, ciborium consecrandum in corporali sedulo reponit. Sed, ubi ad actionem consecrationis pervenit, de ciborio minime recordatur, ideoque illud omnino clausum relinquit. Hinc, anxietate pressus, dubitat utrum Hostiæ in ciborio contentæ velut consecratæ habendæ sint. Consequenter, non audet eas fidelibus distribuere, sed in tabernaculo depositas, die sequenti sub conditione denuo consecrat.

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *An valida fuerit consecratio, et recte JUCUNDUS egerit in primo casu; aut quid ei fuisset agendum?*



QUÆR. 2º *Quid de consecratione, et agendi ratione MARI, in secundo casu?*

3º *Si una, aut altera Hostia sit dubie consecrata, an vel quando ab ipso Consecrante sumi possit?*

SOLUTIO :

255. — *R. ad 1º Quæs.* 1º *Probabilius*, invalida fuit consecratio. Ratio est, quia JUCUNDUS, licet intentionem habuerit prius ciborium consecrandi, censetur tamen postea habuisse aliam intentionem prædominantem, qua prior implicite retractata fuit, scilicet, non agendi contra præceptum grave Ecclesiæ. Imo, prior intentio debuit esse conditionalis saltem implicite, seu consecrandi, sed debito modo. *S. Lig. n. 217*, cum aliis, *communius*. Opposita tamen sententia probabilitate non caret. Sed in praxi prior servanda est.

2º JUCUNDUS male egit, prædictas Hostias fidelibus distribuendo, cum non fuerint certo consecratæ. Debuisset igitur eas asservare in tabernaculo, ut in alia Missa sub conditione consecrarentur, vel, deficiente tabernaculo, eas ante primas ablutiones consumere.

256. — *R. ad 2º Quæs.* MARIUS valide consecravit Hostias in ciborio clauso, super corporale posito, quia validitati consecrationis non obstat quod ciborium sit clausum; et insuper, Sacerdos semper censetur velle consecrare quidquid, ipso sciente, est super corporale, et honeste consecrabile. Nec obstat quod agat contra legem Ecclesiæ, quæ mandat ut ciborium aperiatur ante consecrationem, quia hic agitur tantum de rubrica minoris momenti, quæ non censetur urgere cum tanto incommodo: proinde in hoc casu, intentio prædominans Sacerdotis merito in favorem consecrationis præsumitur, licet ritus levis momenti prætermittatur. *Ita communiter Doctores*, ut asserit *Reuter, n. 155*, et *Pontas, verbo Consecrere, cas. 10.* — *Vide Compend. n. 283, Quær. 2º.*

257. — *R. ad 3º Quæs.* Hostia dubie consecrata a Celebrante sumi potest et debet, facta Communione sub utraque specie, ante primas ablutiones. Non potest consumi antea, quia si non sit consecrata, jejuniæ naturale violaretur; neque postea, quia, si sit consecrata, a Sacerdote non jejuno sumeretur. Posset tamen asservari in tabernaculo, ut in alia Missa consecraretur, ut jam supra de ciborio dubie consecrato dictum est.

#### CASUS IV.

##### CONSECRATIO 2º.

1º AMBROSIVS, Sacerdos, cum vinum in Calicem ponit, advertit guttulas plures lateribus cuppæ interioris Calicis adhærere, licet diligentiam ad eas abstergendas adhibeat. Nescit autem an illæ guttulæ consecrandæ sint, necne. Quid ille? Non omnes quidem, sed plures consecrare intendit, scilicet, eas tantum quas commode accipere poterit simul cum speciebus consecratis.

2º CRISPINUS, Sacrum faciens, cum ad Calicis consecrationem deve-

nisset, ex oblivione, aut nimia celeritate omisit verba formæ: *novi et æterni Testamenti*, cum sequentibus. Prolatis nonnullis aliis orationibus, ad omissionem advertit; et statim totam consecrationis Calicis formam repetit. Alias eandem formam pronuntiando, lapsu linguæ, dicit: *Hic est Calis Sanguis mei*; nec formam repetit.

HINC :

QUÆR. 1º *An valida fuerit consecratio guttularum vini intendarum, in 1º casu?*

2º *Quid, in praxi, faciendum circa guttas vini cuppæ Calicis adhærentes? An consecrandæ, vel non?*

3º *An valida fuerit consecratio in 2º casu, non obstante mutatione formæ, in utraque hypothesis, vel an repetenda fuerit?*

SOLUTIO :

258. — *R. ad 1º Quæs.* Non valet consecratio illarum vini guttularum, quia intentio Sacerdotis fuit nimis vaga et indeterminata. Etenim, si quis haberet decem Hostias, et vellet consecrare quinque, nullam consecraret, nisi aliquas seorsim certo eligeret ac determinaret, ut in Rubricis Missalis declaratur. Ergo, a pari, licet Sacerdos dicat: *Volo consecrare guttas quas capere potero*, nullas consecrat, quia hic et nunc non determinat eas quæ consecrandæ sunt. *Comitolus, l. 1. q. 45.*

259. — *R. ad 2º Quæs.* Guttæ vini exterius cuppæ Calicis adhærentes minime sunt consecratæ, quia præsumi nequi velle Sacerdotem eas consecrare cum tanto irreverentiæ periculo; imo, nec censendæ sunt consecratæ guttæ interius Calicis adhærentes, et a majori parte vini separatæ, quia non videtur esse intentio Ecclesiæ, adeoque nec Sacerdotis, ut consecrentur; saltem, probabilius et communius id tenent Doctores. In praxi, præstat habere intentionem generalem consecrandi tantum vini quantitatem unitam, non vero guttas ab illos separatæ, vel nullam habere aliam intentionem, nisi id faciendi quod convenientius est. *Vide Comp. n. 284.*

260. — *R. ad 3º Quæs.* 1º Valida est consecratio Calicis, non obstante omissione verborum: *novi et æterni Testamenti*; quia illa verba ad formam essentialem minime pertinent. Etenim, non magis ad formam Calicis pertinent quam verba, *quod pro vobis tradetur*, ad consecrationem panis; atqui hæc posteriora verba minime necessaria sunt consecrationi panis, cum ne ex præcepto quidem Ecclesiæ proferenda sint: ergo, etc. Insuper, prima verba *per se* sola exprimunt præsentiam Sanguinis Christi sub speciebus vini, sicut verba: *Hoc est corpus meum*, exprimunt præsentiam Corporis Christi sub speciebus panis. Ergo CRISPINUS formam consecrationis Calicis repetere non debuit, propter omissionem verborum: *novi et æterni Testamenti.* *Pontas, verbo Consecrere, cas. 12.* — *Collet.* — *Gousset, n. 181.* Attamen *S. Ligorius*, ob auctoritatem plurium Doctorum qui contradicunt, ait: *Si Sacerdos tantum prima verba formæ Calicis dixisset, deberet sub conditione integram repetere formam.*



2° Certo valida est forma, licet CRISPINUS dixerit *Calis* pro *Calix*, et *sanguis* pro *sanguinis*; proinde, nihil repetere debet. *Vid. Comp. de Sacram. in genere, n. 199. Voit. n. 36.*

## CASUS V.

## CONSECRATIO 3°.

*Singularis Missionarii industria.*

FLORIBERTUS, Missionarius, peracta quadam missione cum uberrimo animarum fructu, jam ad ultimam diem pia exercitia perduxerat. Jam instabat Communionis generalis solemnitas; sed inexpectata exurgit difficultas. Ecce Parochus qui Sacrum faciebat, et ad Communionem jam devenerat, advertit, non sine stupore, se Hostias ad fideles communicandos destinatas non consecrasse, et ciborium in extremo altaris angulo reliquisse. Id audiens Missionarius, et advertens simul adesse Sacerdotem ad aliud altare celebrantem, qui jam ad Hostiæ consecrationem pervenerat, absque mora acceptum ciborium ad hunc Sacerdotem defert, genuflectit dum verba consecrationis proferuntur, et ocius ciborium refert ad Parochum, gaudens et gestiens, ex eo quod tam feliciter damnum fidelibus ingruens averterit.

Alias, idem Missionarius, cum in iisdem angustiis versaretur, nec adesset alius Sacerdos, neque celebrans, neque celebraturus, rogat Parochum ut, licet jam ad Communionem pervenerit, consecrationem iterare velit. Acquiescit Parochus, et res a periculo liberatur.

Alias, FLORIBERTUS noster in simili casu, seu deficientibus Hostiis consecratis ad Communionem fidelium generalem, alia utitur industria. Cum unus solus supersit Sacerdos qui nondum celebraverit, et Missam solemnem sit postea decantaturus, rogatur a Missionario ut statim celebret, Hostias consecrandi gratia, ablutiones non sumpturus, ut denuo hora Missæ solemnem celebrare possit.

HINC :

QUÆR. 1° *An afferri possint Hostiæ consecrandæ, incepto Canone?*

2° *An auferrî possint de altari Hostiæ consecratæ, ante Communionem?*

3° *An consecrari possint Hostiæ extra consecrationem, qua Sacrificium perficitur?*

4° *An altera Missa possit eodem die celebrari ab eodem Sacerdote, absque licentia Episcopi?*

5° *Quid de triplici industria FLORIBERTI?*

SOLUTIO :

261. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Acrîter *controvertitur.* Negant communiter Theologi et Rubricistæ periti. Attamen plures Doctores magni ponderis

permittunt, gravissima de causa. Sic *Bened. XIV, de Sacrif. Missæ, t. 2, c. 158* : « Communis sententia est, et plerorumque firmata consensu, non « posse particulas consecrari cum Canon recitari inceperit, etiamsi ageretur « de consecranda particula quæ afferenda esset pro Viatico ad infirmum. « Eo enim casu, parva quædam particula detrahi posset ex Hostia Missæ, « et reservari pro infirmo... Facile quivis intelligit ordinem Missæ perverti, « si particule accipiantur consecrandæ, Præfatione incepta. Id porro, si « faciendum est, fieri non debet sine legitima causa, cujusmodi ea esset, « si magna multitudo parata ad recipiendam Eucharistiam Sacramento « careret. » Videtur huic doctrinæ subscribere *S. Lig. n. 217.* — Sic etiam *de Herdt, Sacræ Liturgiæ Praxis, Lovanii, 1855* : « Quousque, et qua « ratione admitti possint (Hostiæ minores incepto Canone), autores non « conveniunt. Certum solummodo est, illas nunquam admitti posse post « consecrationem panis. » Dicunt autem omnes quod si, gravi de causa, Hostiæ minores afferantur post oblationem, earum oblatio mentaliter fieri debet.

262. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* Non convenit generatim Hostias minores ab altari auferri ante Communionem Sacerdotis, quia ad idem Sacrificium pertinent, licet non essentialiter; sed hoc videtur posse fieri ex gravissima causa. Etenim admittitur communiter posse Missam abrumpi, etiam post consecrationem, et ante communionem, ut Viaticum moribundo conferatur cum Hostia minori modo consecrata, vel ipsi ægroto dari posse partem Hostiæ majoris, si nulla sit alia, ut asserit *de Herdt* in eodem opere; atqui in hoc casu nondum perficitur Sacrificium. Ergo idem videtur fieri posse ex alia urgenti gravissima causa. Verum id generatim non est faciendum, ob reverentiam SS. Eucharistiæ debitam et scandalum populi, qui facile offenderetur videndo tam leviter Sanctissimum Christi Sacramentum tractari. Quare populus per aliquot minuta non expectaret, donec Celebrans ulterius progressus fuerit, vel etiam ad Communionem devenerit?

263. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæs. Neg.* prorsus, quacumque de causa, seclusa necessitate Sacrificium perficiendi. Ratio est, quia consecratio a Sacrificio licite separari nequit, seu consecratio de jure divino permitti non potest, nisi in quantum rationem perfecti Sacrificii habere debet. Atqui ex institutione Christi consecratio non habet rationem perfecti Sacrificii, nisi sub utraque specie fiat. Ergo, etsi panis et vinum seorsim valide consecrentur, licite tamen una consecratio ab altera separari non potest. Ergo gravissimi sacrilegii reus evaderet ille qui minores Hostias post panis consecrationem seorsim consecraret. Controversia in hoc non admittitur; certum est enim, ait *de Herdt*, supra citatus, Hostias minores nunquam posse admitti post consecrationem panis. *V. Pontas, verbo Célébrer, cas. 16.* — *Gobat, de Missa, n. 192*, ubi hac de re ait : « Ita usus constans Ecclesiæ « et doctrina doctissimorum et piissimorum Doctorum. Cum enim satis « frequenter eveniat ille defectus particularum consecratarum, quando « adsunt etiam multi qui communicare vellent, attamen nunquam auditum « est Prælatos permisisse id fieri, aut omisisse justam correptionem si « quando audierint factum esse. »



264. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæ.* Seu an altera Missa ab eodem Sacerdote celebrari possit, eadem die, absque licentia Episcopi? Sane id fieri potest aliquando ex gravissima et urgente causa, ut ex Jure canonico eruitur. *D. Bouix* concludit, esse rationem sufficientem iterationis Missæ, etiam in eadem Ecclesia, si secus magna pars populi Missa carere debeat. Porro, in Jure canonico, trecenti homines reputantur magna pars populi (*De Parocho*, p. 464 et seq.). Etsi vero ad illam iterationem requiratur, regulariter loquendo, licentia Episcopi, attamen, ait idem *Bouix*: « in uno aut altero casu, præsertim repentino, et in quo non facile pateat aditus ad Episcopum, si aliunde certe adesse videatur sufficiens necessitas a jure requisita, non puto crimini vertendum Parocho, quod dictam licentiam non requirat. » *Ibid.* p. 467.

265. — *R. ad 5<sup>m</sup> Quæ.* FLORIBERTUS non videtur culpandus, ad rigorem loquendo, in primo casu, juxta plures et graves Auctores, licet multo plures dissentiant. Sed debuit saltem expectare, antequam ciborium transferret, donec utraque consecratio perficeretur, et etiam diutius, secluso gravissimo incommodo. Omnino autem damnandus in secundo casu, ut patet ex dictis. In tertio autem casu, ei indulgendum esse videtur.

## CASUS VI.

MINISTER EUCHARISTIÆ 1<sup>o</sup>.

VALESIUS, Parochus, graviter ægotans, cum non adesset alius Sacerdos, adrexit ad Ecclesiam, et sibimetipsi præbet Viaticum. Interea advenit nuntius, referens GERVASIUM parochianum morti esse proximum, et enixe sacrum Viaticum postulare. Ingemuit Pastor, non valens ipsemet moribundi votis satisfacere, ne tamen absque Viatico ille periret, Ludimagistro mandavit ut sui loco hoc munere fungeretur.

HINC :

QUER. 1<sup>o</sup> Qualis sit Minister Eucharistiæ distribuendæ?

2<sup>o</sup> An VALESIUS potuerit Viaticum sibi ministrare? Quid, si præsens fuisset Diaconus?

3<sup>o</sup> An Ludimagistrum committere potuerit?

SOLUTIO :

266. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> Minister administrationis Eucharistiæ ordinarius, est solus Sacerdos. Diaconus vi suæ ordinationis est Minister extraordinarius, sed ex praxi actuali Ecclesiæ Diaconus Eucharistiam ministrare tantum potest in extrema necessitate, et probabilius etiam in necessitate gravi, ex Episcopi vel Parochi delegatione. *S. Lig. n. 237, et Hom. ap. n. 9.*

2<sup>o</sup> De jure ordinario solus Parochus, vel ejus adjutor, aut Sacerdos ab ipso delegatus, Eucharistiam ministrare potest, quia est actus jurisdictionis. Constat ex variis Conciliis. Attamen omnis Sacerdos habens facultatem in aliqua Ecclesia celebrandi, fidelibus Communionem in Missa

petentibus ministrare potest, quia est implicite delegatus. Insuper ex praxi communi constat.

267. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> VALESIUS certo potuit seipsum communicare, deficiente alio Ministro a quo Eucharistiam accipere posset, in gravissima necessitate, seu in mortis periculo. Imo probabiliter potuit seipsum communicare extra mortis periculum, præciso scandalo, si in longo morbo a multo tempore non communicaverit. *S. Lig. n. 238.*

2<sup>o</sup> Si Diaconus præsens fuerit, VALESIUS seipsum communicare non potuit, quia, cum Diaconus sit minister extraordinarius Eucharistiæ distribuendæ, et urgente necessitate, vel etiam causa gravi, cum delegatione eam ministrare valeat, jam non fuisset necessitas pro VALESIO seipsum communicandi, siquidem alius Sacramenti Minister non defuisset.

268. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* An vero Parochus Ludimagistrum committere potuerit ad Viatici administrationem, prout in casu? *Controvertitur. Negat S. Thomas cum Lugo, Voit, n. 300, et aliis multis; quia hoc est contra consuetudinem Ecclesiæ, tum quia Sacramentum illud non est tantæ necessitatis ad salutem, tum quia administratio Eucharistiæ a laico facta magnam admirationem et scandalum apud populum induceret. Affirmant autem plures graves Theologi cum Suarez, — Layman, etc. Hanc sententiam approbare videtur S. Lig. n. 237. Prima sententia, præsertim nostris temporibus, omnino servanda est. Ratio est, quia reapse consuetudo Ecclesiæ in hoc invocari nequit. Porro in re tanti momenti expedit ut nihil fiat, nisi Ecclesiæ praxi probetur. Præstat igitur ut moribundus absque Viatico decedat, quam si hoc a laico administraretur. Ita Goussset (1).*

## CASUS VII.

MINISTER EUCHARISTIÆ 2<sup>o</sup>.

GALDINUS, Sacerdos, requisitus ut moribundo sacrum Viaticum porrigeret, se ocius accinxit ut ejus votis satisfaceret. Sed aberat ædituus, sacristiæ clavim secum deferens. Curavit quidem GALDINUS ut quamprimum accerseretur; sed, eo longam protrahente moram, cum timeret Sacerdos ne æger deficeret quin sacra Eucharistia reficeretur, assumpta sacra Hostia, sine stola, sine superpelliceo, imo etiam sine lumine ad infirmum cucurrit, eique sacrum Viaticum ministravit.

HINC :

QUER. 1<sup>o</sup> Qualis ritus sub gravi requiratur in Eucharistia distribuenda?

2<sup>o</sup> An GALDINUS licite egerit?

(1) « Comme on ne peut guère invoquer la pratique de l'Eglise en faveur de ce sentiment, nous pensons qu'il vaut mieux laisser mourir le malade sans la Communion, que de la lui administrer d'une manière qui pourrait compromettre aux yeux des fidèles le respect qui est dû au plus digne et au plus saint de tous les Sacraments. » *Goussset, n. 203.*